



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

EXERCITIA || SPIRITVALIA || IGNATII DE || Loyola.||

Ignacio <de Loyola>

Mogvntiae, 1600

VD16 I 56

Contemplatio prima de Resurrection.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45165

QVARTA HEBDO-
MADA.

CONTEMPLATIO PRI-
ma, quomodo IESVS Dominus, post re-
surrectionem apparuit sanctæ Ma-
tri suæ: ut habetur infra.

pag. 193.



RATIO preparatoria iux-
ta morem.

Prælium primum ac-
cipitur ab historia. Quo-
modo postquam expiravit Domi-
nus in cruce, sepulto * corpore, fed * y
Diuinitate semper sociato, ipse in
anima, Diuinitati quoque continue
vnita, descendit ad inferos, ereptisq;
inde iustorum animabus, rediens ad
sepulchrum, corpus cum anima de-
nuo vniuit, ac resurgens, demum ap-
paruit Beatæ Virgini Matri suæ vi-
uus, vt pie, ac verisimiliter creden-
dum est.

Secundum: pro constructione loci, speculandum accipiet sepulchrum, & Beatę Virginis domicilium, cuius formam, partes, & reliquam dispositionem, vt cellulam, & oratorium, figillatim perscrutabimur.

Tertium: continebit gratiam petendam, vt scilicet immensum **CHRISTI**, ac Matris gaudium participemus.

Punctum primum, secundum, ac tertium, eadem hic erunt, quę supra in contemplatione cęnæ fuerunt exposita, id est, considerare personas, verba, opera.

Quartum verò: erit animaduertere, * quomodo **CHRISTI** Diuinitas, passionis & mortis tempore abscondita, palam se faciat in Resurrectione, ac tot miraculis deinceps elucescat.

Quintum: æstimare quam prompto copiosoq; functus sit Dominus,

minus,

minus, consolandi suos, officio, adhibita consolationis, quæ ab amicissimo quopiam præstari potest, similitudine.

Colloquio vno, vel pluribus, iuxta materiam faciendis, terminetur contemplatio, cum Pater noster.

Notandum porro: quod in sequentibus contemplationibus, seu exercitiis, recensenda erunt per ordinem, mysteria omnia Resurrectionis, Ascensionisq; & quæ sunt intermedia, seruatim ubiq; iisdem formulis, & modis: sicuti per totam illam hebdomadam factum est, in qua passionis mysteria contemplati sumus. & iuxta modum ac exemplum primæ huius de Resurrectione Domini meditationis, formandæ sunt sequentes omnes, atque regulandæ, tam in præludiis (nisi quod hæc rebus sunt accommodanda) quam in punctis quinque, & additionibus singulis.